



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. Politia Danorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

de, inclusis maribus, continet 210. mille passus, leucas nostras 105. Germanicas 52. cum dimidia. *Longitudo* verò est graduum ferè decem qui ad magnum circulum reuocati reddunt circiter milliaria 300. leucas nostras 150. Germanicas 75.

N V M. 3. *Qualitas.*

SOLVM hîc depressum & palustre, quare Dania pascuis abundat, campi miræ fertilitatis, & quæ Batauis ferè frumentum omne sufficiat; aër satis purus, vnde omnes ferè Dani ingeniosi.

MERCES. Equi vegeti, ac valentes, butyrum, adeps, boues prægrandes, & pinguiissimi, ligna abiogna ex Sconia ad malos, quibus Bataui, Galli, Hispani carere non possunt.

DIVITIÆ Regis in duobus sitæ sunt, in Sundicis Faucibus, & vectigalibus impositis armento quod ex Daniâ in Germaniam traducitur. Sub initium huius sæculi hæc duo conficiebant 12. librarum Turonensium milliones cum 700. millibus, nunc ad 15. milliones Regis vectigalia dicuntur excreuisse. Centum naues armare, & 30. armatorum millia potest educere.

N V M. 4. *Mores.*

DANI sunt hospitales, & olim pugnaces, nunc eorum virtus nonnihil elanguit, & ad merces & lucra potiùs inclinant. Laboris patientissimæ sunt fæminæ. In conuiuia, & ebrietatem paulò propensiores.

N V M. 5. *Politia.*

REX eorum primus Danus ex Sueciâ oriundus & potitus aliquot Infulis à Iutiis in auxilium euocatus est; is cùm hostes retulisset totius Daniæ Rex effectus est. Fuit olim hic status ex Aristocratico temperatus, quare ab optimatibus Christiernus est datus in custodiam, sed hoc iugum excussit sicut & imperij, nisi pro Ducatu Holfatiæ. Olim in totam Europam bella circumferebant, quare dicitur Hibernia ab iis octies debellata, Anglia decies, Scotia, & Saxonia aliquando factæ vectigales, Suecia duodeuiginti præliis attrita, vt hîc de Gallia taceam, quæ inuita coacta est Normannos recipere: nunc autem sese continent limitibus regni sui.